



~~1771~~


EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

17-74.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.



14

Q. D. B. V.

De
VITA HOMINIS

Disputationem III.

ANTI-PLACENTINIANAM

In Academiâ VVittebergenfi

*Disquisitioni, publicæ
exponunt*

PRÆSES

M. SAMUEL HENTSCHEL

Lefnensis.

Et Respondens

JACOBUS RHETIUS

Fraustad. Pol.

Mens. Apr. D. 28.


A. M DC LX.




VVITTEBERGÆ

Litteris Hæred. MELCHIORIS OELSCHLEGELII.







I. N. 7.

MEMBRUM QVARTVM.

I. *Improbanda probabilia reddi.*

II. *De calore & Corporis in animam actione strictim quaedam.*

III. *Motus oculorum naturalis nunquam ab externo movente, ut causâ principali: nunquam sine animâ. Quomodo Spiritus moveant?*

IV. *Anima operâ clauditur oculus ad imminentem ictum: hacq; non movente, naturaliter non moventur palpebra.*

V. *Motus oculi per Musculos naturalis, ob intentatum pugnum factus, non est plane contra voluntatem.*

VI. *Ab animâ quaedam sunt, que secundum voluntatem non sunt.*



Nihil facile tam absurdè dixeris, cui non color aliquis, aut (ut *Plautus* loquitur) mantellum sit obvium: nec rarò evenit, ut si quod est subactius ingenium, id sui confidentiâ quidlibet asserat. Quantum per tales Philosophia proficiat, quàmque sint idonei ad veritatem duces, dum, si admiratur illos simplex & tener animus, & recti parùm tenax, ei rubiginem suam affricant, nihil attinet in præsentem differere. Id verò nos mirari non sinit quomodo abjectissima de Animâ opinio, quâ motus in homine causa esse negatur, suum invenit colorem. Imò verè colorem arte inducunt, qualem fucos ostentat apposita facies, aut si durius id, Rhetorum colores hunc sibi adjungant. Autor noster opinionem illam



Iam Positione sextâ posuerat, ejusdemque probationes sequentibus Positionibus effingit. Contemplemur artificium. Sed prius quædam ad Posit. VI. Autoris, quæ residua sunt, monebimus.

II. De Calore Membr. III. §. 3. exposuimus sententiam nunc ista monemus. Calor sensibilis in homine dum corpori adscribitur, non negligendum est ejus *περὶ τὸν δεικτικόν*, ut sciamus cur & quâ ratione corpori possit adscribi. Sensu verò Autoris non possumus admittere, calorem membrorum soli corpori tribuendum. Distingvimus nos inter calorem & calefactionem, additâ simul distinctione inter calefactionis diversas causas. Calidum verò innatum neque statuendum est ab igne esse, nequâ a corpore originaliter procedere: neque calor in corpore nostro sensibilis de essentia hujus calidi est, quanquam in animalibus arctissimè cohæreant. Quod tandem subnectit: *corpus nostrum mentem afficere & quidem præter nostram voluntatem* non video quomodo efficiat Autoris sententiam. Anima afficitur à corpore, ergò non movet corpus. Corpus afficit animam. E. motus membrorum sunt à corpore. Si verò hoc saltem intendit, ut corpus certâ ratione animam movere ostendatur, gratis ista apposuit. In universum verò corpus *movens* animam verò *motum* non spero faciet. Cæterum nondum perorata lis est, cum anima dicitur à corpore affici, itemque cum temperamentum corporis sequi dicitur, annon temperamentum & omnia membra corporis potius sequantur animam? annon temperamentum quod inclinare animam dicitur, per prius inclinetur ab anima? annon corpus dum mentem afficere dicitur *passivè* potius se habeat, quam *activè*? annon anima tum pro ratione & qualitate corporis agat? Sed *inquis, præter voluntatem* anima afficitur. Id quidem magnum Autoris, fulcimentum est; sed magnum etiam *ἀντιμα*, quod nihil eorum quæ præter aut contra voluntatem fiunt, ab anima fit, de quo ad Positionem IIX. ubi recurret hæc quæstio, Deo volente quædam monebimus.

§. III.

§.III. Positione VII. ista habet: *Sic si quis citò extenderit manum in oculos nostros, tanquam nos verberaturus, quamvis sciamus, eum nobis amicum, & non nisi joco id facere, abstenturumq; ab omni malo nobis inferendo, vix tamen possumus nos cohibere ab illis claudendis. Quod ostendit eos non claudi animæ nostræ operâ, cum id fiat contra voluntatem nostram: Sed quod machina nostri corporis sic composita sit, ut motus illi⁹ manus ad oculos nostros excitet alium motum in nostro cerebro, qui deducit spiritus animales in eos musculos qui palpebras deprimunt. Probationem hanc ex eo mutuò sumpsit, à quo sententiam accepit. Ita Cartesius De Pass. part.I. art.XIII. Præterquam quod diversi motus cerebri in animâ nostrâ excitant diversos sensus possunt etiam absq; illâ efficere, ut spiritus suum cursum dirigant versus quosdam musculos potius, quam ad alios, & sic moveant membra nostra. Quod hic solum uno exemplo probabo: Si quis citò extenderit manum in oculos nostros tanquam nos verberaturus, quamvis sciamus eum nobis amicum, & non nisi joco id facere, abstenturumq; ab omni malo nobis inferendo, vix tamen possumus nos cohibere ab illis claudendis. Quod ostendit eos non claudi animæ nostræ operâ, cum id fiat contra voluntatem nostram, quæ sola aut saltem præcipua illius est actio: sed quod machina nostri corporis sic composita sit, ut motus illius manus ad oculos nostros, excitet alium motum in nostro cerebro, qui deducit spiritus animales in eos musculos qui palpebras deprimunt. Ab hoc exemplo dum Autor patrociniū petit sententiæ suæ, tot se involvit difficultatibus, quibus si extricaverit se, dignissimum eum novæ Philosophiæ patronum laudabimus. Primū asserere proposuerat, *motum membrorum naturalem procedere à materiâ cœlesti*, ut habet inscriptio Dissertationis. Nos pro materiâ cœlesti, motus causâ, hic nihil vidimus assertum. Deinde si manus alius hominis mota, producit motum in oculo, erit motus hic violentus, ab externâ causâ profectus: Autor verò de motu naturali quæstionem instituit. Tertio, negamus motum alienæ manûs excitare hunc motum in oculo ut propria & proxima causa. Si enim quia motus est id facit (1.) negamus motum alicujus*

cujus externi moti membra nostra movere. Non moventur membra nostra ad cursum solis, ideò quia motus est; non ad motum avium volantium, non ad motum aquæ, non ad motum aliorum hominum prætereuntium. Mirum quia manum movemus ad pileum, prætereuntibus honestis hominibus, quod motum hunc non dicit excitari à motu hominis prætereuntis. (2.) Cur iste motus manus non movet aliam partem, sed præcisè oculum, præsertim cum per Te atque Cartesium, motus istius manus primò non referatur ad oculum, sed ad cerebrum, in quo primò motum aliquem excitet. Quanam vi magnetica motus manus ita movet cerebrum ut Spiritus animalis præcisè ad musculos palpebrarum ferantur, & non potius ad omnes alios musculos, aut ad hos vel illos. Edisserat hoc Autor, gratis ipsi non credimus. Si verò ob aliam causam id facit, proferatur illa. An fortè quia motus hic fit ad oculum! Atqui dicebat Autor hunc motum excitare alium motum in cerebro. Quid facit motus ad oculum, ideò quia ad oculum fit, ad movendum cerebrum: deinde difficultas prior, recurrit; tandemque probandum est, quod motus ad oculum possit motum in cerebro excitare. Si motus ut sic istud efficere non potest, multo minus circumstantia localis id poterit. Et ob quantitatem & quantitatis determinationem nulla oriatur nova actio. Quarto quærimus ex Autore, utrum aliena manus hic agat actione reali an Spirituali? quemque hic agnoscat contactum ad movendum oculum sufficientem? Non enim tale nobis patiemur obtrudi agens, quod quisque sibi, posthabitis agentium conditionibus, effingere velit. Quintò largiamur illud quod miris consequentiis producunt Cartesius & Autor, *Spiritus animales ad motum alienæ manus deduci in eos musculos qui palpebras deprimunt*, nondum res confecta est, nondum clauduntur oculi. Depressio enim ista non de actu, sed de officio & virtute musculorum est exponenda. Musculi verò & Spiritus animales instrumenta sunt, quibus positis non absolvitur actio, sed requiritur etiam causa principalis & talis quidem cui hæc instrumenta-

mentales naturaliter subordinantur. Illi verò audacter animam excludunt. Benè Andr. Laurent. Hist. Anat. l. IV. *Spiritus non per se & substantiâ suâ sensum ac motum affert partibus, sed quatenus perfusus est facultatis radiis.* Circa hanc autem facultatem dispensat anima eamq; exserit: neque potest Spiritus animalis movere motu animali, nisi anima per spiritum moveat: neq; semper illa membra moventur in quibus est Spiritus animalis; quippe qui in nervis ordinariè semper continetur, & ante priorem exhaustum novus quidam continenter suppetit, ab alio influente reparatus. Subordinanda sunt, non opponenda quæ cohærent. Quod verò potest forsitan motus aliquis ostendi, solis Spiritibus tribuendus; eam in rem notanda est nobilis distinctio, quam celeberrimus *Laurentius* eodem libro, alio capite habet: *Spiritum*, ait, duobus modis considerari: aut quatenus *Physicum* est corpus, & propriâ formâ naturali regitur; aut quatenus nobilioris formæ, animæ scilicet instrumentum est. Si à propriâ formâ moveatur Spiritus, sursum & ad exteriora movebitur perpetuò, igneæ liquidem & aëreæ naturæ est: & dum nobiliori formæ inservit, nunc deorsum nunc sursum, nunc foras, nunc intrò movetur; nunc cogitur, nunc dilatatur, prout animæ ad necessarios usus visum fuerit.

§. IV. Remotâ sic improbabili sententiâ, explicabimus breviter, quomodo motus hic, dum clauduntur oculi ad paratum ictum, ab anima proficiscatur? Nempè imminens ictus primùm exhibetur oculo; defertur è vestigio à spiritu visivo per nervum opticum ad sensum communem, sicque anima cognoscens periculum, prospicit oculis occlusionem. Oculis verò, quia hos tenerrimè habet natura, neque noxam contrahant, mirâ sollicitudine cavet. Unde & binos oculos dedit sapientissimus naturæ Auctor, eosque in sublimi constituit securitatis etiam gratiâ in osseis paulatim occultavit recessibus, dum inter frontem protuberantem & nasi prominentiam collocavit, palpebras item ac supercilia addidit, ne facilè nobis perire possent videndi instrumenta; licet aliis etiam usibus hæc structura faciat. Prospicit
dein-

deinde *occlusionē* tanquam præsentissimo munimento; prospicit sæpè ad *apparens* periculum ex naturali, & hoc loco singulari conservationis desiderio: prospicit tandem ad *subito* paratum ictum, licet *apparens* ille periculum, non verum pariat, quia anima ob celeritatem motus non potest extemplò omnes circumstantias satis expendere & perfectè dijudicare, utrum id periculum verum, an *apparens* sit, utrum seriò an joco ictus paretur. Sicque anima iudicio & intellectu suâ hic pendet à Phantasmate, non tantum quoad *κίνησιν* sed etiam quoad *χρῆσιν*, quod ubique ita non obtinet, ut satis probat *Claud. Boucard. de anim. rat. part. IV.* Neque mirum est id animam hic facere, cum etiam ab amicis nobis caveamus interdum; & dato quoque deliberandi spacio non possumus satis prospicere an ipsis fidendum sit, præsertim cum inimica tentant & ostentant. *Nusquam tura fides.* Id verò tibi edissero: Si ita conveniat inter nos, te minimè me verberaturum, etiamsi manum in oculos extenderis tanquam verberaturus, me non clausurum oculos. Et cum quis ipse sibi manu intendit ictum, ubi de læsione securus est, non claudit oculos. Nihil hic motus externus; aut aliò solùm membri, nihil compositio corporis ad motum nostri oculi valent. Manifestum hinc, manum forinsecus motam non posse per veram & propriam efficientiam motum in oculo efficere; manifestum est, animam hic agere, quæ læsionem avertere nititur & per musculos palpebras movet. Distingve impulsivam causam, à causâ directè efficiente, & erit res in vado. Vide quam levire deceptus sis.

§.V. Habet verò Autor quo nobis persvadeat, nihil hic animam agere. *Non clauduntur hic oculi animæ nostræ operâ cum id fiat contra voluntatem nostram.* Contra voluntatem hic clauduntur oculi, E. non animæ opera. Disquirendum hic *primò*. An in tali casu claudantur oculi contra nostram voluntatem? Conceditis, Tu & Cartesius, palpebras hic à musculis deprimi: Musculi verò spontanei, & ejus motus organa sunt immediata, qui in nostrâ potestate est. Galenus *primò*

primo de motu musculorum ait : ὄργανα κινήσεως τῆς καθ' ὄρεσιν οἱ μῦες εἰσὶν. *Organa ejus motus qui secundum instinctum fit, musculi sunt.* Ubi per καθ' ὄρεσιν illud intelligi, quod Aristoteles ἐκείσιν vocat, Interpretes ajunt. Ipseque Galenus sæpè *voluntarium* vocat, & musculos alicubi appellat τὰ τὸ προαιρέτως κινῆσθαι. Etsi igitur quis initio velit apertos tenere oculos ad imminentem ictum: tamen conervationem oculi magis vult, & cum appropinquat ictus, volens eum claudit. Sique aliquis potius perferre malit ictum in oculo, aut securius eum expectare, sperans joco eum intendi: poterit non claudere oculos, neque claudentur oculi per musculos imminente licet manu, nisi planè violenter. Non igitur admittimus, omnimodè contra voluntatem hic claudi oculos. Et quamvis in tali casu, cum ex inopinato pugnus intentatur, non statuamus oculos claudi propriè ἐκ τὸ προαιρέτως & plenà deliberatione ac electione: Sciendum tamen est, voluntarium & spontaneum illum motum, qui musculis tribuitur, duplicem esse: alterum κτὶ τὸ προαιρέσιν, sive *ab electione*, quem propriissimè voluntarium vocant: alterum καθ' ὄρεσιν, sive *ab instinctu*, cum minus attentè aliquid facimus, qualis etiam brutis tribui potest si talem intelligas quem appropriato vocabulo spontaneum vocant.

§.VI. Disquirendum *deinde*, An nihil quod contra voluntatem in nobis fit, ab animâ fiat? Esse quidem *Voluntatem* animæ nostræ facultatem, nec quicquam in nobis nisi animam velle, si propriè loquaris, asserimus: Nihil verò animam nisi secundum voluntatem agere; quodque contra aut præter voluntatem fit, illicò ab anima non esse, haut temerè Tibi damus. Est verò hoc Cartesianæ Philosophiæ *Axioma*, quod trepidè quasi hic proponit Cartesius Art. XIII. De Pass. cum voluntatem *solam aut saltem præcipuam animæ actionem* dicit: alibi verò audacter: Ut De Pass. art. XLI. *Omnis actio animæ in hoc cōsistit, quod eo ipso solo quod vult aliquid, efficit ut glandula, cui arctissimè juncta est, se moveat.* Huc facit quod habet, Art. XVI. *Omnes motus qui nobis eveniunt vo-*
B
lunta-

Voluntate nostra nihil ad eos conferente, non aliunde pendent, quam
à conformatione nostrorum membrorum. Nobis verò rerum Na-
tura ostendit, multa agere animam, voluntate non tantum
nihil ad illa conferente, sed etiam interdum contra nitente.
Quid voluntas ad vitam confert? etiam qui mori mallet,
vivunt. Augetur corpus non ad voluntatem nostram, quiq;
volunt, ne augeatur amplius, non possunt augmentum im-
pedire: nec qui amplius augeri volunt, augmentum illud
solâ voluntate promovere possunt. Naturâ exigente nos
velimus, nolimus, esurimus atque sitimus. Sed nihil istis
contra Autorem efficimus, qui nec movetur nec vivit ani-
mâ. Verùm sensationis etiam interdum contra volunta-
tem fiunt. Audiunt, qui nolunt, tormentorum sonitus:
fragrantia, item ac fœtor sæpè à nolentibus percipitur; &
plagas sentit, qui non sentire mallet. Anima generat, nec
tamen semper quando vult; imò interdum cum non vult;
imò interdum cum nihil vult. Ipsa tandem cogitationes
quas nolumus & quando nolumus sæpè nobis oboriuntur.
Discamus ergò intellectum non habere in omnes faculta-
tes imperium: & ubi imperium habet, non habere semper
δεσποικόν sed interdum *πολιτικόν*. Antequam hinc digre-
diamur illud Scaligeri, Autori accuratè pensitandum, ap-
ponimus, quod habet *Exercit. CCCVII. §. 29.* Nihil movet
in corpore animato, nisi anima. Alioqui plures essent forme, &
plura prima. Neq; continuo verum est. Movet sine imaginatione
ac desiderio: ergò motus is non est anime functio. Natura enim
animali anima est. Ipsa sibi fabricat calces, dentes, cornua
ad vitam tuendam. Itaq; iis & utitur, & scit, quo sit utendum
modo, sine objecto aut phantasia ullâ. Qui animam fecit, cer-
tis eam præceptis oneravit, partim generalibus, partim contra-
dictioribus. Illa sunt, que pertinent ad unionem suam cum cor-
pore conservandam: cujus nullus autor extimus esse debet. Ejus
itaq; studiosa movet cor: coquit in ventriculo: recoquit in jecore:
perficit in venis: digerit in membra: mutat in corpus: sufficit, u-
nit instaurat, redintegrat.

MEM-

MEMBRUM QUINTUM.

I. *Passiones animæ non excludunt animam: neq; à motu omnium corporis, neq; ab istis motibus, neper Cartesii quidem Philosophiam.*

II. *Affectuum distincta consideratio Autoris refellit sententiam.*

III. *Appetitus naturales Autoris causam non adjuvant.*

IV. *Objecta cogitationes confusas moventia frustra obtinentur. Non producant sensus sine animâ solo nervorum motu.*

V. *Calor vel frigus forinsecus corpori immissa, non everunt animæ operas.*

Nunc primùm Autori vocabula favent, videturque ille hoc adjumento feliciter progredi quam ingressus est viam. Qualecunque enim hoc sit, cui innititur bacillum, robustum id censendum est, cum cæteris sit validius. Nempe habet Philosophia quidpiam, quod *Passiones* vocat *animæ*, quo audito vocabuli sono, animos sumit Cartesiana cohors, & quasi præcinent tubâ, aut conchâ ad veterum morem, prælium contra animam aggreditur. Jam enim anima patitur, & motus isti à corpore sunt. Multum ea appellatio cohortis Duci profuit qui de *Passionibus* part. I. Art. 2. ista ponit: *Considero nos non animadvertere ullum subjectum dari, quod in animam nostram agat magis immediatè, quam corpus cui juncta est, & per consequens cogitandum, illud ipsum quod in ea Passio vocatur, in hoc vulgò Actionem esse; ita ut nulla tutior detur via deveniendi in cognitionem nostrarum Passionum, quam si prius expendatur differentia, quæ est inter animam & corpus.* Id nos oportebat subolfacere, ut intelligeremus, quorsum pertinerent illa, quæ de affectibus admiscet Autor, quæque nulla videbantur specie tueri errorem; quod anima non det motum corpori. Habentur illa *Posit. 9.* Sic multoties experimur, affectus letitiæ, tristitiæ, qui proveniunt à commotione sanguinis & spirituum. Audito enim grato nuncio, mens primùm de ipso judicat; & gaudet gaudio intellectuali, quod sine ullâ corporis commotione habetur: Deinde cum illud imaginatur, motus quidam in cerebro excitatur, qui mentem afficit letitiæ animalis sensu. Ita motus alius cerebro communicatus sensum tristitiæ in mente effi-

cit, quamvis ipsa fortè nesciat cur tristetur. Suppeditavit Car-
tesius verba Princip. Philos. part. IV. p. 291. Audito grato nun-
cio, mens primùm de ipso iudicat, & gaudet gaudio illo intelle-
ctuali, quod sine ullâ corporis commotione habetur, quodq; idcirco
Stoici dixerunt cadere posse in sapientem; deinde cum illud ima-
ginatur, spiritus ex cerebro ad præcordiorum masculos fluunt, &
ibi nervulos movent, quorum ope alium in cerebro motu excitant,
qui mentem afficit lætitiæ animalis sensu. Eadem ratione sanguis
nimis crassus malignè in cordis ventriculos fluens, & non satis ibi
se dilatans, alium quendam motu, in iisdem præcordioru nervulis
facit, qui cerebro communicatus, sensum tristitiæ ponit in mente,
quamvis ipsa fortè nesciat cur tristetur: aliæq; plures causæ idem
prestare possunt? Sed agam⁹ cum Autore. Alia nunc profertur
Motus species, quæ licet soli corpori tribueretur, pro præ-
cedentibus nihil faceret, omnium verò minimè defenderet
thesin Auroris: Omnes motus membrorum solius esse corporis.
Deinde Carthesiana Principia non id indulgent his moti-
bus, ut animam hinc excludant. Ita Magister de Pass. part.
I. Art. 25. Perceptionis quæ solummodo ad animam referuntur,
sunt illæ, quarum effectus sentiuntur quasi in anima ipsa, &
quarum nulla vulgò cognoscitur causa propior, ad quam referri
possint. Tales sunt sensus lætitiæ, Iræ, & aliorum similium. Et Art.
29. Addo eos speciatim referri ad animam ad illas distingvendū ab
aliis sensationibus, quarum aliæ rejiciuntur in objecta externa,
ut odores, soni, colores; aliæ in nostrum corpus, ut fames sitis do-
lor. Explicet Autor, quomodo Lætitia, Ira & alij affectus
ad solam animam referantur: & nihilominus probent mo-
tus esse solius corporis: Explicet quomodo perceptiones
quæ ad animam referuntur, æque ut aliæ quæ ad nostrum
corpus referuntur, ex ejus sententia, ut fames, sitis & c. pro-
bent motus esse solius corporis. Producit enim hic æque
affectus lætitiæ tristitiæ & c. ac appetitus naturales famis &
sitis. Ipse denique Autor verbis suis parum juvat senten-
tiam suam. Menti enim hic primas dat, quam ait primùm
gaudere gaudio intellectuali, antequam affectus gaudij in
corpore se exferat. Est ergo anima novens in hoc motu, &
in movēdi actu corpore prior. Vide quā bellè hoc adstruat
sen-

sententiam, animam non esse motus causam. Hic prævideo fugam ad gaudium *animale*, quod non malè ab *intellectuali* distinguit *Cartesius*, qui idem, *confusas* cogitationes & *distinctas* cogitationes, diversimodè proponit. Sed non satitutum est refugium: Nam motus qui mentem afficit lætitiæ animalis sensu, ille (1) *excitatur in cerebro*, non ipsum cerebrum eum excitat, sed excitatur ab anima. 2. *Excitatur cum mens imaginatur illud gaudium*. Igitur & hic anima agit. Nec potest aliter fieri, cum quod primùm in sola mente est, ad ejus societatem deinceps cerebrum, cor, & nervuli pertrahuntur. Manet ergò hic etiam animam movere: cumque corpus movet mentem, non movere sine anima.

II. Producendum hic est breviter dogma de affectibus, ut quantum illud faveat Autori perspiciamus: quamquam si multùm faveret, id nobis parùm officeret. Interim non pudet nos nostræ sententiæ. *Passionum* Latinum vocabulum, Græci nobis suâ appellatione pepererunt. Hi n. affectus $\pi\acute{\alpha}\theta\eta$ vocant, unde *Passiones* dictæ sunt. Id nomen usû frequentatum, libenter quidem assumimus, non tamen ei tantùm concedimus, ut in ejus gratiam velimus aliquid affectuum naturæ adversum statueri, præsertim cum $\pi\acute{\alpha}\theta\eta$ non rectè *Passiones* transferri, *Valla* alicubi profiteatur. Quamvis igitur appellarint *Passiones*, & quidem, ut quibusdam videtur, propter manifestos effectus quos homo perpetitur, quales sunt pallor in metu, rubor in pudore, ardor oculorum in irâ, &c. certum tamen est actiones & *Passiones* in affectibus concurrere. In quonam verò formaliter consistant affectus, an in *Passione*, an verò in actione, sic convenit inter Philosophos, ut inter horologia. Nos distinguimus diversas in affectibus motiones. 1. Datur motus objecti in facultatem cognoscentem. Hanc primùm affici necesse est, si debet affectus propriè dictus consequi. Ita non dolet quis de re amissâ antequam sciat eam amissam. Ita gaudium non nascitur ex quovis bono, sed ex bono cognito, quod quis habere se novit aut sperat. Necesse etiam est ut cognoscatur objectum sub ratione causæ vel tristitiæ, vel lætitiæ, vel diversi alius motus: alias unum objectum indif-

fenterer quemlibet affectū excitaret. 2. Datur motus facultatis cognoscentis in appetentem, unde est appetentia sive desiderium & averfatio. 3. Datur motus facultis appetentis in corpus, in quā motione sanguis ac Spiritūs commovetur, ac corpus certo modo disponitur, nec non instrumenta ad prosecutionem vel fugam diriguntur. Hic incautē versantur, qui antecedentia & causas affectus, cum ipso affectu, adeoque motionem primam cum secundā confundunt. Unde natus est error, qui *Stoicis* tribuitur, nec non *Chrysippo* à *Cicerone* l. IV. *Tusc. quæst. affectus esse opiniones.* Item qui cum affectu confundunt *σύνπτωμα* ejusdem & effectum, adeoque secundam & tertiam motionem juxta habent, unde natus est error eorum, qui affectus censent esse commotiones spirituum ac humorum. Exigat Autor ad hunc lapidem Verba suā: *Affectus proveniunt à commotione sanguinis & Spirituum*, & videbit inversum ordinem. Non constituit, nec efficit affectum ista commotio; sed consequitur aut concomitatur. Quod si constitueret, gratis fingitur animam in istā commotione nihil agere, eamque à solo corpore aut aliunde extrinsecus procedere. Hocque Autor in prioribus verbis hujus Positionis intendit, aut si non intendit, thesin non probat. Ex posterioribus verò verbis quædam huic opinioni adverfa, paulo ante adduximus.

§. III. A naturali quoque appetitu, quem *Cartesius* unum ex sensibus internis dicit, subsidium petit. *Sic quoq̄,* inquit, *in nobis dantur appetitus naturales, fames, sitis, ut sæpius quis contra voluntatem esuriant, sitiatur, & hæc fames & sitis mentem non sine anxietate afficiat.* Redit falsa illa hypothesis; quicquid præter & contra voluntatem fit, ab anima non fit. Hæc argumento robur dedit, dum colligitur: *Esurimus & sitimus contra voluntatem.* E. hi appetitūs non sunt ab anima. Sed concidente hac hypothesis, non stabit, quod ei superstructum est. Vide ruinam ejus *Membr. IV. §. 6.* Nos tales appetitus in homine ad illud referimus principium, quod altricem facultatem in homine habet. Hanc verò anima habet, quæ propter istam facultatem per naturalem appeti-

petitum cibum & potum atque nutrimentum appetit in iis partibus, quæ alendo corpori destinata sunt. Distincta sunt in homine, voluntas edendi, & fames: voluntas bibendi & sitis, & rectè Cartesius appetitus naturales edendi & bibendi, à voluntate edendi & bibendi distingvit. Utrumq; verò ab anima est, non tamen ab iisdem sed diversis animæ facultatibus; quas quia Autor aut ignorat, aut distingvere non vult, non explicat se erroribus. Quod additur, famem & sitim mentem non sine anxietate afficere, nihil nobis officit. Breviter quicquid anima adversi in una facultate percipit, illud alteri & superiori facultati non potest gratum esse. Quod sensum dolore afficit, illud voluntas non vult. Collige hinc, ergò anima non sentit. Imò ipsa se suis cogitationibus sæpe angit, dum intellectus illud cogitat, quod voluntati non est gratum. Collige ergo corpus cogitat. Distingvendum omninò inter principium *Quod* & principium *Quo*.

§. IV. Progreditur Autor *Posit. 10. Diversa etiam objectorum genera, nervos corporis diversimodè moventia, totidem genera cogitationum confusarum in animâ excitant. Cum enim isti nervi solito vehementius agitantur, sed ita tamen, ut nulla lesio in corpore inde sequatur, hinc fit sensus titillationis, menti maximè gratus, si verò aliqua lesio inde sequatur, fit sensus doloris.* Verè hic juravit in verba Magistri. Ita Cartesius *Princip. Philos. p. 292. Quantum ad sensus externos, quinque, vulgò numerantur, propter quinque diversa objectorum genera, nervos iis servientes moventia, & totidem genera cogitationum confusarum, quæ ab istis motibus in animâ excitantur.* Et post pauca: *Ac præterea cum isti nervi solito vehementius agitantur, sed ita tamen ut nulla lesio in corpore inde sequatur; hinc fit sensus titillationis, menti naturaliter gratus, quia vires corporis, cui ardè conjuncta est, ei testatur, si verò aliqua lesio inde sequatur, fit sensus doloris.* Non videmus quo valeant ista ab Autore hoc loco allata. Cartesius quidem exinde probat, animam non sentire, nisi quatenus est in cerebro. Autor verò nunc in eo est ut probet motum in humano corpore non esse ab anima. Concludat quispiam: Diversa objectorum genera nervo corporis moventia, cogitationes confusas in animâ excitant.

E. ani-

E. anima non movet corpus. Si hæc iusta videbitur Auctori consequentia soli ipsi videbitur: ut verò aliis etiam videatur, probanda erit. Sin hanc improbaverit consequentiam adferat alium medium terminū. Aliàs propositā quæstione de alio, producet conclusionem de cepis. Convertimur ergò ad Cartesium, sed breviter. Sensus doloris & titillationis, quos Cartesius confusas cogitationes (ut & animi pathemata) vocat, & à distinctis cogitationibus discernit, utique ab objectis excitantur in sensus incurrentibus: nervis etiam opus est, quibus tanquam instrumentis anima in partibus dolorem sentientibus, dolorem percipiat, quorum etiam ope species illa sensilis ad sensum communem deferatur, sive ad cerebrum ubi anima sensum communem exercet: quod verò. 1. Nervus id possit præstare sine animâ: 2. Diversi motus locales sufficiant ad omnes sensus in animâ excitandos, (quod habet Cartesius Princ. Phil. 296. & Dioptr. c. IV.) non facile credimus. Probentur hæc inventa, puriori & receptæ Philosophiæ adversa. Contrarium docuimus *Membr. IV. §. 3. Conf. Membr. II. §. 2.* Præterea quærimus, quæ fiat, quod nervi non moveantur ab objectis, cum è corpore excessit anima, quando quidem, *objectorum variæ dispositiones efficiunt, ut nervos nostros, variis modis movere possint,* quod Cartesius asserit.

§. V. Nihilo magis Auctoris causam adjuvat, quod eadem *Posit.* addit. *Multoties etiam percipimus ab objecto externo, vel sensum caloris contra nostram voluntatem, cum potius sensum frigoris expetamus; vel sæpius sensum frigoris sentiamus, cum lubentius calorem desideremus.* Sanè agunt objecta externa in nos, sæpè contra voluntatem nostram: fatemur etiam externum illum calorem & frigus neque ab anima esse; neque animam pro arbitrio circa illum dispensare posse. Quid inde. E. anima non est principium motus. Id nemo inde produxerit. Vel: E. Calor iste non est ab anima. Consentimus. Non tamen percipitur sine animâ. Vel: E. solum corpus sentit, non anima. Id Auctor non proposuit neque fortè asserit.

SOLI DEO GLORIA.

Nov. 2000 ^{60.}





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13



14

B. V.
De
HOMINIS
onem III.
NTINIANAM
V Vittebergensi
ioni, publica
onunt
ESSES
HENTSCHEL
ensis.
bondens
RHETIUS
ad. Pol.
pr. D. 28.
DC LX.

BERGÆ
ORIS OELSCHLEGELII.

